



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 4. Vbi alij desunt, Deum non deesse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

4 Cap. I. Relictos à Deo curari,

tes, ex quò orti sunt, scaturire destiterunt; nec mare tot fluuios excipiens mensuram suam excessit; nec solis ac luna cursus immutationem ullam subierunt; nec diei ac noctis ordines inuersi sunt. Quòd si Deus elementis adest, si terræ prouidet, si maria curat, si totâ Mundi domum tam diu, tam accuratè sustentat, Mundo ipso nec sentiente, nec pro se sollicito; quid sperare poterit homo, cuius caussa & elementa, & totus hic orbis est creatus? Qui sepem curat, an hortum negliget? Qui fementi vigilat, num dormiet messi? aut pilum, quomodo pellem pluris faciet?

§. IV.

Ubi alij desunt, Deum non deesse.

Cùm autem tanquam communis parens omnibus prouideat, maximè tamen curam gerit eorum, qui aliunde deseruntur. Laudat Photius Patriarcha Constantinopolitanus, *Sanctorum virorum librum*, Græco auctore incerto conscriptum, in cuius libri septimi fine, apud Rosveidum, senem junior interrogat: *Si fuero in aliquo loco, & nata fuerit mihi tribulatio, & non habuero, cui me committam, & indicem passionem animi mei, quid facio?* Cui senex respondet: *Crede in Deo, quia ipse mittet Angelum & gratiam su-*

am;

Photius
biblioth.
cod. CX.
C. VIII.
Rosveid.
lib. 5.

exemplis veteris Testamenti docetur. 3

am, & ipse tibi est consolatio, si in charitate ro-
gaueris eum. Quibus verbis addidit, audi-
uisse se, in Scithi, aliquando eiusce rei hoc
exemplum contigisse. Ibi enim Ascetā mul-
tis vexatum tentationibus, cum non habe-
ret, cui vel animi tumultum aperiret, sedan-
dūmque præberet; vel apud quem peccata
confiteretur, sub noctem, iam capisse para-
re sibi melotem suam, vt, orto die, statione
deserta, migraret. Sed, nocte media, Gra-
tiam Dei, habitu exquisitissimæ virginis, ei
apparuisse, vetuisseque, ne inde latum vn-
guem discederet; sed secum, eodem loco,
perseueraret: nihil enim illi mali euenturū:
si desint homines, non deesse Deum. Perse-
ueravit, & illico mentem tranquillam ac-
cepit; non accepturus, si alibi quæsuisset.
Nempe cum illo sentire oportet, qui dixit:
Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia eius 1. Cor. 15.
in me vacua non fuit, sed abundantius illis om- 10.
nibus laboravi: non ego autem, sed Gratia Dei
mecum: quæ tantò plus operatur, quantò
plus momenti habere creditur: credit
autem is magis, qui humanis viri-
bus fidit minùs.

A 3

§. V.